

Ad carmen sepulcrale Christianum ILCV 3427 Diehl
(= CLE 783 Buecheler = CIL V 7640).

In carmine sepulcrali ILCV 3427 Diehl (= carm. epigr. 783 Buecheler = CIL V 7640) nuper haud infructuose a R. P. Hoogma¹⁾ tractato una restat lacuna nondum recte suppleta (v. 6), cuius spatiolum tres litteras complectitur:

l. 6: *haec²⁾ talamis, Albine, tuis ser[...] que fedelis
virginea casto servavit pectore tae[das] eqs.*

6 *Ser[gi]que* Buecheler interrogationis signo apposito *ser[va us]que* Leo.

At rectius restituas *ser[tae]que* (serta sc. corona) vel *ser[tis]que* (serta, -orum): quod supplementum sententiae aptissimum³⁾ esse satis liquet collatis locis Paul. Fest. 63 M. (= 56 L.) *corollam nova nupta⁴⁾ de floribus verbenis herbisque a se lectis sub amiculo ferebat et Sidon. carm. 15, 197 sq. *amborum tum diva comas viridantis olivae | pace ligat, nectit dextras ac foedera mandat⁵⁾*; v. etiam Apul. met. 4, 27, ubi puella inter ipsas nuptias rapta inducitur loquens de somnio saevissimo: *visa sum . . . de thalamo, de cubiculo, de toro denique ipso violenter extracta per solitudines . . . mariti nomen invocare eumque, ut primum meis amplexibus viduatus est, adhuc unguentis madidum, coronis floridum consequi vestigio me pedibus fugientem alienis; antea ibid. 4, 26 domus tota lauris obsita, taedis lucida constrepebat hymenaeum* (qui locus demonstrat si non in carmine sepulcrali, at generaliter etiam de postium ornamenti cogitari posse sicut Juv. 6, 79). De re cf. J. Köchling, De coronarum*

1) „Der Einfluß Vergils auf die Carmina Epigraphica“, Amstelodamae 1959, p. 205 sqq.

2) Sc. *regina* (l. 4) — an *Regina* (?) —, quam semper univiram fuisse apparent.

3) Perpendas velim seriem vocum nexu perspicuo inter se cohaerentium: *talami, serta i. e. corolla novae nuptiae, taedae*.

4) Ceterum etiam novorum maritorum coronas commemorari posse constat, v.e.g. locum ex Apuleio allatum.

5) Est locus epithalamii Polemio et Araneolae dicti.

apud antiquos vi atque usu, RVV XIV 2, 60 sqq.; A. de Salis,
Mus. Rhen. 73 (1920/24) p. 199 sqq.; K. Baus, Der Kranz in
Antike u. Christentum, Theophaneia vol. 2 (Bonnae 1940), qui
p. 98 sqq. (cap. V § 2) exponit, quatenus Christiani coronis nup-
tialibus usi sint.